



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

35. Quid de illorum, qui digitis chirotheca vel simili aliqua re tectis hoc sacramentum ministrant?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41077**

## QVÆSTIO XXXV.

*Quid sit de illorum, qui digitis chyrotheca, vel simili aliqua re tectis, hoc Sacramentum ministrant?*

Quæstionis explicatio.

*a Borrom. de  
cura pest. ca.  
15. numer. 2.*

**V**idetur & hic modus ministrandi in Italia à quibusdam sacerdotibus ad vitandum contagium vsurpatus: nam & illum (a) Illustrissimus Borromæus damnasse & prohibuisse videtur, cum dixit: *Neue instrumentum, aliudue quid simile ad ministrationem Eucharistie pro digitis, vel adeo in ipsis adhibeat*: Vetat enim (vt videtur) ne digiti, quibus sacramentum hoc contrectatur, vlla re, siue chyrotheca, siue alia simili sint cooperti: vult ergo digitis nudis teneri Eucharistiam, & sic in ore summentis deponi. Huius occasione quaeritur, quid de hoc modo ministrandi dicendum sit?

*Responsio.*

**N**Equè hic est licitus, propter rationes statim allegatas. Adde, quod stultum & parum cautum videtur, assumi mediū



medium ad fugiendam contagionem: nam si contactus vel labiorum, vel linguæ, vel salivæ peste infecti timeatur per digitos ministrantis discoopertos, potest & idem timeri per eosdem quocunque instrumento tectos, præsertim cum hoc modo ministrans non minus vicinus sit agro ad concipiendam tum tactu tum aliis sensibus contagionem, quàm si ordinario modo ministraret.

Dices. Episcopus ornans se vestibus sacris ad diuinum officium peragendum, post indutam dalmaticam, iuxta ritum Apostolorum, vt dicit (a) Durandus, manus coopertit chirothecis: ergo poterunt & sacerdotes vti illis ad sacramenta ministranda.

*a Duran. de diuin. officiis lib. 3. cap. 12.*

R. Episcopum ex antiquissimo Ecclesiæ more, propter significationem mysticam, quam ibi Durandus refert, obligare manus chyrothecis, dum legit vel cantat, vel progreditur vel populo benedicit; non autem dum confirmat, vel ordines confert, aut alia sacramenta conficit: vnde male illud ad iustificandum hunc modum ministrandi hoc sacramentum assumitur.